

tenentes gladios, & ad bella doctissimi vniuscuiusque ensis super semur suum propter timores nocturnos. Postquam citatus Pater probat hos bellatores esse infantes illos. Sic subiicit: Idem ergo est dicere, & armatos esse circa lectum, & infantes: nam isti quidem nondum nouerunt: hi vero ad hunc statum se redegerunt: adeo, ut beatus in his inueniatur, vel infans, vel armatus, verus Israelita in puro corde. Deum videns; ut armatus quidem in puritate impatiibilis, Regis lectum, id est cor suum custodiens; ut infans autem in beato lecto quiescens. Ecce idem armati actus gladiatores, & simul pueri, ac infantes vocantur: cum cor suum custodiunt, ab illoque ense iustitiæ, ac rectæ rationis omnem perturbationem, ac mundialem cogitationem amputant, fortes pugnatores sunt. At verò ut omnis perturbationis expertes mira pace, ac quiete potiuntur, tanquam infantes reputantur. Qui enim cor suum à mundialium anxietate custodiunt, sic in ipso suo corde, ac animo placidè, & quietè degunt, veluti innocentes infantes nulla percepta molestia cubantes in lectulo.

Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, Psalm. 75. num. 3. Quanquam Psalmus de Christo à multis interpretatur, tamen non incongruè, etiam de iusto explicatur, qui degens in puritate, ac rectitudine suæ animæ, ac conscientie habitat in pace, ac tranquillitate veluti in munitissima arce Sion. Pergit Psalmista, *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum.* Diffipauit potentias arcuum, scilicet dæmonum, qui omnium tentationum sagittas emittunt; scutum obstinatæ obdurations, gladium præsumptionis, & bellum omnium peccatorum. *Si in pace factus est locus eius, & habitatio eius in Sion, ut in fortissima.* Quomodo ibi tantum certamen est inditum? *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.* Quia tanta est habita pugna cum diabolo, carne, ac mundo, inde in tanta pace, ac quiete degit pax animæ iusti de contentione cum vitiis, & peccatis consistit, ex talique pugna multum crescit, ac efflorescit. Ita D. Ambrosius prædictum Psalmum exponit, lib. de Naboth, cap. 14. *Ubi quietus, ait, affectus nullis diuersarum cupiditatum, exagitur fluctibus, nullis auaritiæ turbatur procellis, nullis querendarum diuitiarum ignescit incendijs. Ipse est, qui speculatur aeterna, & habitat in Sion, confringens omnia spiritualium instrumenta bellorum, conterens arcus, quibus diabolus ignita dirigitur iacula; graues peccatoribus hominum solet inurere tentationes.*

37. Posuit Deus ante paradysum ad custodiendam viam ligni vitæ Cherubim cum flammeo gladio, Genes. 3. num. 24. Ad cuius exemplar cum Abraham conscenderet ad montem, in quo Deus visus est, ad litandum Domino filium suum, secum simul asportauit ignem & gladium. Ex quo eleganter ait Philo lib. de Cherub: *Annon vides, ait, quid & sapiens ille Abraham, quando incepit iuxta Deum metiri omnia nihil creatura tribuens, accepit ad ignei gladii similitudinem ignem, & gladium, rescicare cupiens quicquid mortale habebat, ut expedita cogitatione sublimis ad Deum euolaret?* Cum Abraham ascendit ad montem veluti alter Cherubim defert secum ignem, & gladium, sciebat vir sapiens nihil creaturæ tribuens, quod ad perueniendum ad eam animi tranquillitatem, in qua nullum rebellem motum in concupiscentia experiretur, ut inde fieret aptus ad Dei præsentiam, & colloquium, necesse erat, ut prius igne, & gla-

dio carnales omnes cupiditates amputaret, appetitus trucidaret, omniæque mundana conculcasset, ut ita expedita mente illius summa pace obtrita diuinæ congauderet familiaritatis consortio.

Lucæ 11. n. 7. Et si ille perseverauerit pulsans: dico vobis, etiam non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

VERSIONES.

- Syriacus.** Dico vobis: etiam si propter amicitiam non dederit, at propter importunitatem surget, & dabit quantum ei requiritur.
- Caictanus.** Propter impudentiam tamen eius surget.
- Græcus apud Barrad. & Luc. Burgens.** Propter inuerecundiam tamen eius surget.
- Arias.** Propter improbitatem eius excitatus dabit illi quotquot habet opus.
- Vatablus.** Dabit quocumque habet opus.

EXPOSITIO III.



I si ille perseverauerit pulsans. Tota hæc pericope non legitur, siue Græcè, siue Syriacè, maxime tamen inseruit ad explicandam vim parabolæ, ac proinde optimè est in nostra Vulgata. *Perseverauerit pulsans, repulsa amici non destitit à petendo, sed maiori conatu continuauit, & ut notat Toletus, iam non vitur vocibus, ut antea, sed pulsatione, excusabat enim se amicus à surgendo, ne expergeret pueros, ac perturbaret, ille autem tollens excusationis argumentum, fores pulsat, ut strepitu excitentur à somno, indeque magis amicus compellatur surgere.*

Dico vobis. Concludit parabolam, & idem est, ac vobis extra dubium certum facio. *Et si non dabit illi surgens.* Prudens paterfamilias, quamuis multos pueros secum habeat in cubili, ministrorum manibus cauet, & ipse per se surgens, quæ suorum sunt, per semetipsum exercet, eo quod amicus eius sit. Rectè notat hic Toletus annot. 22. & etiam supponunt Hugo, & Maldonatus, quod maxime hic explicatur efficacia orationis erga Deum; *et si non dabit, eo quod amicus eius sit.* Non amicus Dei, idem est ac peccator, qui enim non est in amicitia Dei, in peccato est; Deus enim non solum iustos exaudit, sed etiam peccatores, cum tamen ad eum veniunt, ac conuertuntur voluntate peccandi abiecta. *Propter improbitatem.* Seu, ut alij lugunt, *impudentiam, seu, inuerecundiam eius, id est, propter importunam, vrgentem, & inuerecundam instantiam.* Im-

38. Græcus. Syriacus.
39. Ministrorum manibus cauet.
Tolet. Hugo. Maldonat.
40. Psal. 33. Psal. 17. Psal. 10.
41. Carthuf. August.
Deus oratio ne vult infari. Tertull. Caetic. 3.
42. Ennod.
Differt Deus horum, ut animus meri. 316 crescat.

Improbis appellatur, qui nullo dato responso recedere non vult, sed moleste vrget, ac instat, & non cessat à petendo, donec accipiat, ut veluti cogat alium ad dandum; per hanc autem improbitatem in ordine ad Deum, intellige assiduam perseverantiam. D. Augustin. lib. 2. quæstionum Euang. cap. 21. ait, quod in præsentem. *Comparatio est à minore; si enim amicus homo, surgit à lecto, & dat, non amicitia, sed radio compulsus, quanto magis Deus dat, qui sine radio largissime donat, quod petitur.* De quo iterum. *Quotquot habet necessarios.* Seu opus. *Ne iterum pro pluribus panibus postuletur, & ad lectulum reuersus denuo inquietetur.*

August.

QUÆSTIO VI.

Quare Dominus, qui est multum velox ad nostras orationes exaudiendas, tantum in presenti cunctatur, ut dicatur propter importunitatem dare?

- 40.** **Q**UAM velox sit Dominus in suorum orationibus exaudiendis multis explicat Regius vates. Psal. 33. n. 16. *Et aures eius in preces eorum.* Psal. 17. num. 7. *Et clamor meus in conspectu eius introiit in aures eius.* Psal. 10. num. 17. *Preparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Quomodo ergo in præsentem se morosum ostendit erga hominem pullantem?
- 41.** Respondeo primò, quod per improbitatem intelligendum est assiduus orationis feruor, indeficiens instantia improbitati, ac importunitati secundum humanum iudicium, ut explicat Catthufianus, aliquid simile continens; si v. g. talis petitio fieret erga hominem, quod iam in expositione explicauit ex D. Augustin. Et iterum ipse est audiendus serm. 5. de verbis Domini cap. 5. *Quid est, ait, propter improbitatem, quia pulsare non destitit, quia & cum esset negatum, non se auertit; ille, qui volebat dare, quod petebatur, fecit, quia ille in petendo non desicit. Quanto magis Deus bonus, qui nos hortatur, ut petamus, cui displicet, si non petamus.* Ita vult Deus nos esse perseverantes, ac instates in oratione, ut eum quodammodo cogere, ac vrgere nostro affectu ad dandum valeamus. *Hac vis grata est Deo, ut ait Tetul. lib. de oratione.* Vnde sponfa. Cantic. 3. n. 4. dicebat. *Tenui eum, neque dimittam, donec introducam eum in domum genitricis mee.*
- 42.** Secundò. D. Ennodius Epistol. 3. *Pulsanti, ait, sæpe surgit Deus, & tribuit, si non propter meritum, vel propter importunitatem. Sic usuram cultoribus vexaris reddit terra cespitibus. Sic ad vocem prius hominis montis secreta respondent, & dum angustus clamor vincitur, ut letitudinem suam elementa manifestant.* Ait Dominus in præsentem parabola. *Propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi.* Affectat Deus multiplicatis, ac etiam importunis vocibus in oratione pulsati. Importunitas, seu improbitas sumitur in præsentem pro quadam instantia ad bona quædam super vires orantis concedenda; nam sicut humana vox ad montium cauetnas euecta per Echo se se multiplicat: & ager alias cassus, & infructiferus, improbo agricolarum labore vexatus, ac excultus magnis fructibus repletur: sic orantis animus cum alias, aut nihil,

aut parum meritis polleat multiplicata voce, ac feruore in oratione meritis crescit; indeque aptus, & capax reddit, ut magnis donis diuinæ gratiæ fecundetur. D. Augustin. Epistol. 121. cap. 8. explicans cus Deus nos iubet instanter orare, ait, *Vult exerceri orationibus desiderium nostrum, ut possimus capere, quod preparat dare.*

Tertiò. D. Chryfolog. serm. 39. *Indicit, ait, in hac humanitate geminam necessitatis speciem petentis, & dormientis, ut illum petere hospes, dare compellat hunc somnus: ut pote, qui propterea se daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum: ut ei magis dormire liceat.* Cum introducitur media nox, quando homo cum panis indigentia pulsatur ad ostium Domini, quando intra cubiculum suum clausus cum pueris suis iacebat in lecto, Deus tanto gaudio à liberalitate sua in nos dona diffundit, ut non tantum videatur homini indigenti subuenire, sed etiam suæ propriæ commoditati accurrere. *Quis dubitat, quod valde proficuum est dormienti, ut pulsanti indilate satisfaciatur, ut placatus suæ quieti indulgeat? Vnde Dominus describitur in noctis silentio molestari, ac inquietari clamore, & strepitu pulsantis ad ianuam; ut citò respondens, & superabundanter largiens, non tantum petenti, sed etiam sibimet consulere videatur.*

Quartò. Deus aliquando cunctatur in nostris petitionibus satisfaciendis, ut nos inde magnis vocibus instemus, cuius rei rationem assignat D. Augustin. citato serm. 5. de verbis Domini. *Cum aliquando, ait, tardius dat, commendat dono, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur: cito autem data vilescunt.* Et serm. 27. De verbis Domini, ait. *Quod dare vult, differt, ut amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum.* Cum Parens Elias leuaretur in cælum, pallium suum reliquit discipulo suo Elisæo, qui reuersus stetit super ripam Iordanis, & pallio Elia, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ. *Et dixit: ubi est Deus Elia etiam nunc? Percussitq; aquas, & diuisæ sunt huc, atque illuc.* 4. Reg. 2. n. 13. Illud semper erat idem pallium Eliæ, eademque virtute pollebat, cur non prima vice, & cum tunc multo feruore, ac conatu orat Elisæus. *Vbi est Deus Elia etiam nunc? Sed secunda percussione diuiduntur aquæ? Distulic Diuinum Numen vsque ad secundam instantiam inuocationis adesse, nam si continuò Elisæi votis annueret, facilis illa, atque prompta diligentia miraculum diuisionis aquarum non multum æstimabile redderet, vilescunt enim quæ citò, & sine multo nostro conatu acquirimus.*

Quintò. Multas rationes de intus dedit Dominus, quibus firmavit negatum; *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, pueri mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.* Tamen quasi coactus, ac veluti inuitus, more humano de Deo sub parabola loquitur Euangelista. *Propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Ecce Dominus, qui dicebat se non posse, aut nolle dare, tamen tam grandis est orationis potentia, ut valeat extorquere id, quod Deus dixit se nolle dare, ac proinde ipsius orationis vi veluti coactus liberalissime donat D. Chryfolog. serm. 39. *O quam necessitatis esse sua, ait, quod sua potestatis est, vult videri.* Ac proinde cum ipse decreuisset non dare, quod intelligitur, nisi instanter rogaretur, elicit, ac exposita feruida oratione valde sponte donat, ac largitur. *Luctatur Iacob cum Angelo, illo nempe magni*

August.

43. Chryfolog.

Dei tam liberalis in donis dandis, ac veluti si eis indigeret.

44.

August.

Dei non respondet statim orantibus, ne vilescant dona apud eos.

4. Reg. 4.

45.

Grandis potentia orationis.

Chryfolog.

46.

consilij Angelo, qui tetigit neruum scemoris Iacob, & statim emarcuit, ita vt Iacob claudicaret; cū tamen lucta per totam noctem protraheretur. Dixit Angelus ad Iacob. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Genes. 32. num. 26. Ostendit Angelus se velle ab illius manibus effugere, sed ab illius manibus retentum non posse. Quid facis o Angele? Multum sane homine potentior, si discedere exoptas, sicut vnus neruum scemoris illius percussisti, quo claudus euasit, percute & alium, vt vtrōque claudus facile te dimittat: Cū luctarentur tota nocte Iacob ad orationem confugit; de hoc enim certamine loquens Osce propheta. cap. 12. num. 14. ait. *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit, & confortatus est; sicut, & rogauit eum.* Ad orationem se conuertit Iacob. *Rogauit eum Deus velut cedens viribus orationis, inducias postulat, ab illōque se petit dimitti, ab illiusque amplexibus liberari, tanta est enim orationis potentia (humano modo loquitur) vt cum Dei omnipotentia ob suam eximiam pietatem videatur certare.* Oratio enim ipsam Deum ligat, detinet, ac circumcingit. Tertullianus, in Apolog. cap. 39. *Coimus in carum, ait, & congregationem, vt Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes, hac vis gratia Dei est.* Expende verba: *Quasi manu facta precationibus ambire.* Ac si dicat orationibus Deum vndique circumcingimus, ipso sic ex sua magna misericordia disponente.

Ad Iob cap. 33. num. 5. ait Deus. *Si potes, responde mihi, & aduersum faciem meam consiste.* In Hebraeo legitur. *Dispone, ordina, instrue, & sta.* Verbum sane bellicum. Vnde Tygurina legit. *Acie directa mecum congregare, ac fortiter obtine gradum tuum.* Sed quomodo miser homo aduersus faciem Dei omnipotentis potest stare, ac tanquam acie directa congreri? Oratione nempe, vt explicat Pagnin. Vatabl. Caietan. *Dispone orationem tuam, & consiste ante me.* Verba sunt Vatabl. Tanta est orationis potentia, tantamque vim ipsa Deo infert, vt quodammodo erga faciem eius videatur aciem militarem instruere, vt Deum ad se trahat, ac inclinet, nostrōque modo dicendi vincat D. Hieron. Epistol. ad Damascum. *Deus ipse, ait, qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur.*

QVÆSTIO VII.

Quare pulsanti non solum dantur tres panes, sed insuper quotquot erant necessarij?

VENIUNT fatuæ Virgines media nocte, & cum clamarent, Domine, Domine aperi nobis. Clausa est ianua, & dicitur eis. *Nescio vos.* Matth. 25. num. 12. Venit præsens homo media nocte, cum iam clausum esset ostium, tamen ei aperitur, & datur ei superabundanter non solum quod petebat, sed insuper quidquid ei erat necessarium. Quænam huius rei ratio? quia in Virginibus defecit perseverantia, quæ in pulsatore valde tenax exitit, vt dicatur propter improbitatem ei date, de quo iterum dicam, cum de Virginibus fuerit sermo, ex quo patet solutio ad primum quæstum quæstionis, cur scilicet huic homini panes dantur?

Ad principalem quæstionem. Primò respondet D. Chrysol. serm. 39. *Non potuit, ait, non imperrare, quod voluit, qui vt reciperet hospitem, hospitem resciret, totam sibi requiem denegauit. Aut quomodo sic petenti, sic pulsanti, non responderet ille, qui se in hospite suscipi conficitur, cum dicit, hospes fui, & suscepistis me.* Expende, non potuit non imperrare, quod voluit. Ingens hominis charitas, quæ alto noctis silentio somnos dulcissimos abruptit, horrorem noctis non timet, importune multa cum verecundia sodalem excitare non recusat, vt hospitem esurientem reficiat, in quo & ipsum Dominum recipiebat; tam grandis, & potens existit vt ianuam clausam etiam intempesta hora adaperiat, & non solum panes, quos petebat, sed insuper & multa alia à Domino impetret, & obtineat. Cū Iob sua magna miseria premeretur, multus est in recensendis Eleemosynis à se elargitis in pauperes, egenos, pupillos, ac viduas, toto cap. 31. à num. 20. sic ait. *Si desperi perentem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem: Et iterum; si oculos vidua expectare feci.* Ad quid tam large suæ pietatis opera refert? Vt ex illis magnum leuamen hauriret certus, quod illæ eleemosinæ erogate nõ perirent, sed cum multo scenore ad ipsum rediret, ex illisque multa bona sibi sperabat. D. Chrysol. homil. 3. de patientia Iob. tom. 1. sub persona Iob sic loquitur. *Si ego solus indutus essem, iuste dolerem: si autem pauperes induebantur, nunquid poterit Deus pauperes despiciere? Noni quoniam in sacrificium suscepit, reddet centuplum.* Et post pauca iterum subdit: *Noni quid facit Dominus, nunc vultu sacrificium meum accepit, substantiam eandem mihi auget cum additamento virtutis.*

Secundò. Caietan. *Petierat tres mutuo, ait, vultu importunitate amicus non mutuat, sed dat, non tres, sed quotquot indiget panes; tres panes petierat homo, & mutuo: At Dominus non tres illi accommodatos præbet, sed insuper plures largitur datos. Quotquot erant necessarij. Tum quia Dei dona sunt vndique perfecta, tum etiam quia semper maiora dat, quam ea, quæ petuntur, sua eximia liberalitas multum postulantis votum excedit.*

Cū exilio premeretur Dauid auxilium à Deo postulat. *Leuani oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Psalm. 120. num. 1. in montes, vbi scilicet erat sita Hierusalem, vel in montes scilicet celos, vt alij interpretantur, statimque exultat, ac gratulatur de diuino auxilio sibi concessio. *Auxilium meum à Domino, qui fecit celum, & terram.* Tamen statim præter auxilium à se postulatum, alia sibi concessa decantat. num. 6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Hoc est cum interfeceris, per diem æstus solis, nec per noctem frigoris lunæ molestias patieris; quid est, quod cum ipse tantum auxilium à Domino in sua tribulatione postulat, non tantum Deus illi concedit ipsum auxilium, sed insuper vmbra culum à calore solis, ac nociuo lunæ rore? Magna Dei bonitas nostris votis non coarctatur, sed insuper supra nostras preces multo plura concedit. D. Chr. ad citat. Psalm. *Dei benignitas, ait, non pro modo nostræ necessitatis suum præbet auxilium, sed remunerationibus nostræ quoque postulata superat.* Vide in hoc libro cap. 2. num. 160. cap. 8. num. 198. & c. 9. n. 73. cap. 12. n. 39.

Ea, quæ deinceps hic sequuntur. *Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis, &c.* Explicata sunt à nobis

49. Chrysol.

Eleemosina duplicato favore omnia assequitur.

Iob. 31.

Eleemosina bona augentur.

Chrysol.

50. Caietan.

Deus plura dat, quam petimus.

51.

Psalm. 120.

Deus suis donis superat petentis votum.

Deus præter necessaria dat etiam qua recreant.

52.

nobis ad cap. 7. Matth. num. 7. tom. 2. cap. 18. à num. 43. sicut & alteram parabolam, quam scribit D. Lucas cap. 11. num. 33. Nemo lucernam accendit, explanata est ad cap. 5. D. Matth. tom. 2. c. 11. quæst. 20. & cap. 16. quæst. 14. & deinceps, quæ ibi sunt videnda.



CAPVT XXI.

Diues Auarus.

Luca 12. n. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.*

Num. 17. Et cogitabat intra se dicens: *quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos.*

VERSIONES.

Syriacus n. 16. Dixitque eis parabolam: *Viri cuiusdam diuitis protulit terra multos prouentus.*

D. Aug. lib. 50. Attulit possessio fructus. homil. 48.

Græcus. *Viri cuiusdam diuitis protulit regio.*

Euthym. *Protulit prædium.*

Maldonat. *Protulit latifundum.*

Syriac. n. 17. Et animo verfabat, & dicebat: *quid faciam? nec enim habeo vbi cogam prouentus meos.*

Græcus. *Cogitabat in anima sua:*

Arias. *Ratiocinabatur in se ipso.*

Arabicus. *Cum non sit mihi vbi ponam triticum meum.*

EXPOSITIO I.

1. Græc.

DIXIT autem similitudinem, seu vt habet Græcus, *parabolam ad illos.* Vt persuaderet Dominus diuitias nec afferre, nec prorogare vitam, etiam si illis quis multum abundauerit; & cum doctrina de rerum contemptu difficiliter percipiatur, ac facile è memoria excidat, ideo vtitur parabola, vt clarius, ac altius mente retineatur. *Hominis cuiusdam diuitis.* Qui suis diuitiis fieri potuit melior, & locupletior, sed vt pote avaritiæ plenus, illius cupiditatem diuitiæ non explere, sed irritare valuerunt. *Vberes fructus.* Luc. Burgens. deducit à verbo *exuberare.* Attulit enim prouentus eius cogitatu, ac spe ampliores, & maiores. *Ager.* Græcus habet, *regio, seu latifundum* vt notant Titus Bostrenf. Theophylact. quia non erat breuis quidam agellus, sed regio, seu magna camporum amplitudo, vt inde depre-

Burgens.

Græc. Bostrenf. Theophyl.

hendas, quam amplæ fuerint huius hominis possessiones, & quò prouentibus ager fertilior fuerit, cò diues avarior enaserit, à fructuum copia didicit se se fructum nullum ferre. Hugo. *Noli, ait, esse deterior insensibili elemento; terra fructus, quos offert, non suis visibus indicat, sed tuis ministrat: tu verò fructus illius solus inuadis.* Auarus deterior terra, illa fert fructus non sibi sed aliis; at avarus totum sibi, & nihil aliis seruat.

Hugo.

Auarus terra deterior.

2.

Et cogitabat intra se, seu vt alij legunt: *ratiocinabatur* secum, seu in anima sua; vt pote rem charissimam sibi. *Quid faciam?* Verba sunt hominis solliciti, & anxij. Euthym. *Hæret, & angitur, tanquam ad modum pauper, quia nimium locuples.* Prosequitur in sua anxietate; quia non habeo. Obcæcata mente ex avaritia hæc dicebat, nam si sano esset intellectu, sciuisset, vt ait Carthusianus, parata horrea pauperum ventres. *Quò congregem fructus meos.* D. Basil. homil. de hac similitudine, *Hominis insipientiam sugillat. Nondum colligit fructus, & iam avaritiæ iudicium incurrit, quot enim pericula imminet, ante fructuum collectionem? Nam & grandis saepe confringit, & æstus ex mediis manibus rapit, & pluuia impetive è nubibus erumpens inutiles facit.* Hominis insatiabilis feritas, quæ nondum collegerat, iam sibi, ac aliis vsurpari cogitabat, addit D. Basilus citat. *Nondum habebat fructus, & iam illos egneis inuidebat.* Ex quo non hic innotatum dimittam, quod venuste notauit D. Chrysol. serm. 105. *Diues sic prouentus est, vt magis cogitata perderet, quam parata.* Diues non habebat bona, nec in horreis, nec in sua possessione, sed solum in cogitatione. Hæc est enim mundalium bonorum conditio, quod magis cogitatione, quam re existant, & habeantur.

Euthym.

Carthuf.

Basil.

Chrysol.

QVÆSTIO I.

Quare Deus homini malo, ac avaro multa bona concedit in hoc seculo, & adhuc ipse clamat, non habeo?

RIMA quæstionis pars inquit, cur Deus homini malo, ac reprobo multa bona in hoc sæculo concedat. Respondent. 1. D. Basilus homil. de hac parabola. D. Ambros. serm. 81. Diuus August. Epistol. 70. vt Dei longanimitas, ac benignitas appareat, qui solem suum facit orti super bonos, & malos. Secundò. D. Gregor. lib. 16. moral. cap. 5. In iudicij sui manifestationem, vt iustior declaretur rigorosa damnatio, quanto maior erga tales se exhibuit misericordia, ac pietas. *Vt duriora eos tunc supplicia puniant, quorum hic malitiam nec dona vicerunt.* Tertio. Idem D. Gregorius lib. 15. moral. cap. 35. Ex quadam affluentia pietatis, vt bono aliquo temporali fruuantur, qui in æternum damnandi sunt. *Sapè, ait, Diuina patientia tolerat, quos iam ad supplicia præscita condemnat: permittit florere, quos adhuc cernit deteriora perpetrare. Quia enim videt ad quam damnationis foveam tendant, hoc eis pro nihilo esse existimat, quod hic peruersi relinquenda multiplicent.*

3.

Basil.

Ambros.

August.

Chr. Deus

improbo dat

bona?

Gregor.

Secunda pars quæstionis inquit. Quomodo hic Diues, fructuum copia plenus, ait. *Non habeo quò congregem fructus meos?* Rectè Rabbanus. *Mentitur, ait, nam horrea parata sunt pauperum esurientium*

4.